



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Quid de regibus excommunicandis. n. 26.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

1606. Doces fas non esse coram Iudice competente æquiuocare; Spero te nos pro legitimis habere Iudicibus: Multa verò tu mihi in Arce negasti, quæ productis deinde testibus confessus es. Cui *Garnettus*, id enim uero feci, quia nullum existimaui testem aduersum me venire potuisse, atque ea propter occulta fuisse quæ interrogabantur, neque me iure de ijs rogari; præsertim cum in alterius damnum vergerent qui nulla infamia laborabat.

Quid de
regibus ex-
communi-
candis.

XXVI. Alterum doctrinæ nostræ Caput in quod Dominus Attornatus vehementius inuectus est, spectat Regum excommunicationem, depositionemque: Quæ res etsi latum præbeat differendi campum, quoniam tamen difficulter coram hoc honorato confeslu dicitur in causa quæ Majestatem suam propius tangere videtur, pauca in meipsum fratrumque meorum Catholicorum Angliæ purgationem proloquar. Ac principio obsecro Dominationes vestras ut animaduertant doctrinam hanc nostram eandem omnino esse cum illa quæ ubique gentium quibus Catholici imperant docetur à subditis Academicisque Catholicis; Neque propterea habentur ij proditores, aut existimant Principes doctrinam ipsam subditos ad proditionem seditionemue informare: Neque certè capio cur nos qui in nullo ab recepta ubique doctrina discedimus, aut apicem vnum immutamus, tanti criminis maculâ præ omnibus notemur. Deinde animaduertere oportet, magnum esse inter Serenissimum Regem nostrum discrimen, & illos Principes qui Catholicam fidem semel amplexi recedunt deinde atque in Hæresim delabuntur, ab eo se corpore separantes atque ab illo capite cum quo olim fuerant coniuncti: Hos tangunt Censuræ de quibus sulè à Domino Attornato disputatum est; ab ea nimiram potestate merito puniuntur, à qua immerito discesserunt. Alia est Regis nostri causa quæ eam doctrinam proficitur quam cum lacte hausit. In hunc proinde nemo priuatus sententias illas Censurasue Generales adaptare potest.

At (inquit Sarisburius) Potest nè Pontifex Regem nostrum excommunicare? Nolim (subiungit *Garnettus*) Pontificis potestatem in quæstionem venire aut illam denegare. Quid igitur? Si excommunicaretur, liceretne subditis rebellare? Ad ista, inquit, pridem respondi, atque ut nè huiusmodi quæstionibus vehementius præmar rogo. Lecto deinde Canone, *Nos Sanctorum*; Et dicente Attornato per iocum, *Garnetti* responsum eò spectare, datus est ei locus ad sequentia progrediendi.

Quando
& cur Ca-
tholici ca-
perunt
Schismaticorum Ec-
clesijs ab-
stinere.

XXVII. Secundum de quo institueram dicere erat de Reculantibus in genere (hoc est, de ijs Catholicis qui sacris precibusue Hæreticorum renuunt interesse) Hi si Domino Attornato credimus, absentiam suam fundant in Bulla Pij quinti quæ Elizabetham excommunicauit. Quod si verum esset cum Serenissimus Rex non sit per sententiam excommunicatus, liceret nunc preces frequentare; quod certè facerent Catholici ut à multis essent immunes si id licere arbitrarentur. Neque illud verum est quod tam constanter affirmatur ad annum vndecimum vsque Elizabethæ non abstinuisse Catholi-